C lumbricum interficiat. In alijs autem partibus conſtringens uincit. In folijs tamen & germinibus media quodammodo cõprimentis & ſubducentis facultas eſt. Cæterum Mora ubi in uentriculum purum, & prima fuerint ingeſta, citiſsimè per inteſtina tranſeunt, & alijs cibis ſuo ueluti ductu uiam ſtruunt. Verum ſecundo loco aſſumpta, aut prauum in uentre humorẽ inuenientia, celerrimè alijs unà cum cibis corrumpunt, extraneã quandam atq; inexplicabilem corruptelam inducentia ſimiliter Cucurbitis. Tametſi enim fugacibus hæc omnia ſint eſculentis innocentiora, corruptione tamen niſi uelociter deorſum concedant, non ſecus ac Pepones, uitiantur. Porrò quando uentriculi os ſqualidum calidumq; erit, tum ſicut peponibus, ita & Moris utendum. Tale nanq; iecur etiam tunc eſſe neceſſe eſt. Immatura Mora ab arbore decerpta, ſiccataq;, in hyemem reponunt, ut ſibi medicamẽ ex ijs parent, utile ad dyſenteriam, aluiq; diuturnum fluorem perſanandũ. Quod quidem facilè deſcendant fortè eis uſuuenit ſola ſubſtantiæ humiditate & lubricitate, fortè etiam admiſtione acrioris facultatis, quæ ſtimulandę ad excretionem aluo ſit ſatis. Nam adſtringens qualitas adeò nihil ad deiectionem opitulatur, ut etiam reprimere ſtipareq; ſit nata. Proinde Moris exiguam quandam eius facultatis portiunculam ineſſe cõijcio, cuius permagna in purgantibus medicamentis habetur: quæ facit non ſolum ut facilè deijciantur, uerumetiã ut diutius morata in uentre corrumpantur. Quod ſi corruptionem effugiant, omnino quidem humectant, ſed non planè refrigerant, niſi frigida accipiantur. Parciſsimè corpus alunt, ſimiliter ut Pepones, haud tamen uomitum cient, nec ſtomacho ut illi aduerſantur.

DE MYRRHIDE. CAP. CXCVIII.

D

NOMINA.

Cicutaria.

Error de duplici Cicuta.

MYRRIS μύρρις Græcis, Myrrhis Latinis, uulgaribus herbarijs Cicutaria, quod ſcilicet caule & folijs Cicutæ ſimillima ſit. Hac ſimilitudine quidam decepti, ueram eſſe Cicutam putauerunt, cum tamen ab ea, uiribus potiſsimũ, diuerſiſsima ſit. Germanis Wilderkorffel appellatur.

FORMA.

Cicutæ caule & folijs ſimilis eſt, radicem obtinet longam, teneram, rotundam, odoratam, in cibo non inſuauem. Hæc tota Dioſcoridis deliniatio, nulla prorſus reclamante nota, herbæ cuius effigiem damus pictam ſuffragatur. Siquidem caule ſtriato, folijs & flore Cicutæ ſimillima eſt, adeò ut eam nonnulli à Cicuta diſcernere neſciant. Radicem etiam habet longam, teneram, rotundam, cibo iucundam & odoratam.

LOCVS.

Paſsim in hortis & pratis nonnullis prouenit.

TEMPVS.

Maio menſe loca in quibus naſcitur huius floribus quaſi candicant.

TEMPERAMENTVM.

Ex ſecundo eſt ordine excalfacientium, adiuncta partium tenuitate.

VIRES. EX DIOSCORIDE.

Phalangiorũ morſibus radix Myrrhidis ſuccurrit cum uino pota. Menſes purgat & ſecundas educit. Cocta in ſorbitione tabidis utiliter datur. Ferunt præterea aliqui eam bis térue die potam ex uino in peſtilentialibus conſtitutionibus, à morbo ſeruare incolumes.

EX GALENO.

Radix eius menſes mouet, quæq; in thorace & pulmone ſunt expurgat.

EX PLINIO.

Cit menſtrua & partus cum uino. Aiunt quoque eandem potam in peſtilentia ſalutarem

MYRRHIS